

# SECTIO I. EXEGETICA

VERBORUM S. TEXTUS SENSUM EVOLVENS

§. I.



Osteaquam totius Israëlis Rex inclytissimus David in nova sua Cedrina domo residens, post bella ejus temporis cum Philistæis debellata, altâ frui pace cœperat, adjecit animum ad templum Jehovæ ædificandum. Ipse enim DEUS promiserat, eligere sibi se velle certum, eumque in certa tribu fixum locum, ad

quem omnis populus Israeliticus cultûs divini gratia conveniret, singulique sacrificia sua & munera adducerent atque ferrent: Id quod manifestissime patet ex Cap. XII. Deut. v. s. 6. ubi (ex versione J. Tr.) Deus præcipit: *In loco, quem elegerit Jehova DEUS vester ex omnibus tribubus vestris; ad collocandum nomen suum ibi, in habitatione ejus, exquirite eum, cum veneris illuc. Igitur adducetis eò haec locusta vestra & sacrificia vestra, decimas vestras & oblationem manus vestra &c.* Hæc cum David secum pio volveret in pectore, communicavit sua consilia cum Nathane Propheta, Viro longe piissimo & Consiliario suo Ecclesiastico, quem proculdubio frequentius etiam consiliis suis gravibus adhibuit, etiamsi Verbum DEI in mediate revelatum semper is non haberet. Rationes vero causasque propositi sui simul exponere voluit, verbis hujusmodi: *Vide, quæso, ego mortalis homo habito in domo palatii splendidi cedrina, at Arca Dei sub pellibus posita est II. Sam. VII. 2. Pauciora loquebatur, quam animo conceperat. Brevitas verborum magna complectebatur molimina. Nathan ergo his auditis continuo propositum Davidis comprobavit, utpote quod pietati conveniens videbatur: abi, inquit, vers. 3. omniaque quæ sunt in animo tuo, fac, nam Jehovah tecum est.* Verum quod Sanctius de Prophetis scribit,

A 2

in